

1556 *tate ductus, sed ut suas res tueatur, bellum suscipere cogitur: id potius iis esse tribuendum, qui ad arma capienda compulsi. Nam quorum copiis utatur? nisi eorum, qui sibi subiecti sunt, qui sua regna, ac provincias incolunt: Gallos certe ea in re minime imitatus, qui Turcas ad Cæsarem oppugnandum sibi socios superioribus annis adjunxere: quamquam ad omnia extrema ingens necessitatis telum impellere solet. Neminem igitur vel parum propensi in Ecclesiam, aut religionem animi Philippum insimulare, vel imperii propagandi cupiditatis arguere debere, cum id unum querat, ut illatas sibi injurias fortiter repellat. Quod vero postremum est, idem enuntiat, societatem Reipublicæ se petere, arctiori nexu cum illa adstringi cupere; quæcumque pollicitus fuerit, cumulate præstaturum: ob id Martinum Alonsum Venetias cum literis misisse, quibus illi perampla ad foedus cum Republica sanciendum facultas permetteretur. Scire se foedera nonnunquam ad alios invadendos; nonnunquam ad se ipsos ditionesque suas tuendas fieri: quamcumque inire Patres rationem velint, ab ea Regem, qui summa benevolentia Venetos complectatur, non discessurum. Maximæ ob præclaram in Rempublicam significationem Philippo Senatusconsulto gratiæ actæ: at unum in pace præsidium hoc tempore collocandum esse, Senatum censere, adjectum est; pro eximio hoc bono retinendo, omne studium, operam, industriam adhibiturum.*

*Hispani Venetos arctiori foedere sibi adstringere nituntur. Senatus responsum.*

*Julius Tolfius ab Albanus Duce ad Pontificem mittitur.*

Interea Albanus Dux, ut justum Paulo bellum intulisse videretur, Julium Tolfium, Sancti Valentini Comitem, ad eum mittit, qui suum studium, atque obsequium, uti religionis Principi deferat; de iis, quæ in Cæsaris, ac Philippi beneficiarios, amicosque egerit, conqueratur; in urbe, atque oppidis hostes, ac perduelles exceptos; publicos homines indicta causa in vincula coniectos; tabellarios captos; resignatas literas; gravibus injuriis Reges affectos, quin vehementer commoveantur, de iis repellendis cogitarent, efficere non posse. Pontifex, re ad Cardinalium collegium deducta, mox Julio vocato, in Cæsareanos acriter invehens, Dominicum Nigrum ad Albanum Ducem cum mandatis se misisse inquit: *contra jus bellum sibi Philippum inferre: ceterum nullis minis, periculisve deterritum, gravia queque, atque acerba passurum,*

ne-